19

I. N. D.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

CONGRVA PVRGANTIVM QVORVNDAM AD MORBOS APPLICATIONE,

QUAM

SOLO DEO PRÆSIDE

EX DECRETO ET AUCTORITATE

INCLTY IMEDICORUM ORDINIS

IN ALMA ARGENTORATENSIVM VNIVERSITATE

PRO LICENTIA,

SUMMOS IN MEDICINA HONORES

AC

PRIVILEGIA DOCTORALIA

RITE CONSEQUENDI

SOLENNI PHILIATRORUM EXAMINI

SUBMITTIT

JACOBUS PRAUN,

CAMPIDONA-SUEVUS.

Ad diem I. Menſis Auguſt. MDCCXXXVII.

ARGENTORATI,

Imprimebat SIMON KÜRSNER, Cancell. Typogr.

LIBERÆ S. R. I. REIPUBLICÆ
CAMPIDONENSIS
MAGISTRATUI
VIRIS
GENEROSIS, MAGNIFICIS NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS, AMPLISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, DOCTISSIMIS,
ATQUE
PRUDENTISSIMIS,
DOMINIS
CONSULIBUS
PRÆTORI
A SECRETIORIBUS
SYNDICIS
COETERISQUE SENATORII ORDINIS
MEMBRIS

DOMINIS ATQUE PATRONIS

HONORIS & OBSERVANTIÆ

CULTU VENERANDIS

Hanc Dissertationem Inauguralem

humillime offert

AUCTOR



PRÆFATIO.

PUrgatio Corporis Humani, Græcis Κάθαρσις dicta, indicatur, quando id vitioso, hujus vel illius generis humore gravatur; aut enim pathemata animi, succos stomachi turbando, crasin illorum invertunt, & subsecuturæ vitiosæ digestioni ansam præbent, ex quâ successivè cruditates generantur, facilius medicamento cathartico everrendæ, quam quibusvis aliis alterantibus corrigendæ: aut errores in victu commissi, vel sua mole vel qualitate vitiosa, munus digestionis lædunt, cui medendo Natura non rarò vomitus & diarrhœas aut sal-

tem molimina ad istas evacuationes excitat, Medicumque agendorum admonet; Conatus enim hi ut plurimum sunt justo languidiores, unde Hippocrates suo jam tempore docuit, quo natura vergit, eo ducenda; *hujusmodi enim motus naturæ vel sunt critici, vel saltem per sua molimina Medico rationali indicant id, quod facere debet. Practici hinc summe necessaria sunt duo hæc requisita:*

Primo. Pollere judicio & sermonem naturæ intelligere, *eique adæquatis respondere adminiculis, hæc enim molimina humorum, turgescentia & evacuatoria sunt naturæ sermo.*

Secundo. Vim medicamentorum *& quidem, de quibus hic nobis agere constituimus* purgantium, *perspectam habere; non enim omnia uno eodemque modo operantur, nec quod huic individuo, aut morbo convenit, alii semper conducit.*

Ratio igitur est habenda Medico tam morborum eorumque causarum & motuum, cum regularium tum irregularium, quam temperamentorum, vitæ generis & medicamentorum à se invicem qualitate & operandi modo

modo differentium, ut, ceu prudens Naturæ minister suum cuique tribuat, *hoc opus, hic labor est. Susque deque habent agyrtæ & carnifices hanc cautelam, nec ubi, nec quando, nec quomodo sit evacuandum, considerantes, medicinam habent in promtu, omnibus ægris etiam non visis, neque morbo rite examinato unam eandemque propinantes, confuse temerariè, & ut plurimum cum damno ægris consulunt. Purgantium late dictorum varietas hactenus in tantum excrevit numerum, ut tironi nisi manuducatur à Practico longa annorum serie exercitato, sit admodum difficile judicare quodnam eorundem hoc vel illo in casu aut morbo sit eligendum. Inter tot simplicia & composita ea saltem hic producemus, quæ sunt maximè usualia, & præ aliis tuta. Esset quidem hac occasione etiam disserendum, de singulorum loco natali de partibus eadem constituentibus &c. Cum verò hæc à Celeberrimis Viris* MICH. BERNH. VALENTINI in Hist. Simpl. Reform. PAUL. HERMANNO Cynosura Mat. Med. & GEORG. WOLFFGANG. WEDELIO Amœnit. Mat. Med. *prolixius sint examinata & excussa, in id unice incumbemus, ut de*

eorundem congrua ad morbos applicatione loquamur, quantum nempe ex Paternâ experientia hactenus nobis colligere licuit. Omnipotens Deus, Creator & Conservator Universi! qui creaturis Tuis impressisti tam varia & innumerabilia Sigilla Bonitatis tuæ infinitæ, eorumque usus salutares contra generis humani infirmitates ad notitiam nostram pervenire voluisti. Tu es, qui creasti Medicum, largire mihi Sapientiam, ut dona Gazophylacii Tui amplissimi, quod clementissime condidisti, condigne discam dispensare, & custodi intellectum meum, ut, si non omnes possum juvare, neminem tamen lædam, suumque cuique tribuam. *Benedic studiis meis, ut cedant in Nominis Tui Gloriam, & Proximi languentis Salutem.*



CAP.

CAPUT I.

De Emeticis.

§. I.



Nter Emetica ſunt maxime uſualia Tartarus Emeticus, Sulphur Antimonii auratum, Vitriolum album, Radix Ipecacuanha vel Hypecacoanna & Mercurius vitæ. Loquor de iis, quæ noſtra in patria frequenti in uſu ſunt, haud ignorans, ſirupum emeticum Ang. Salæ & Oxyſacharum emeticum Ludovici alibi ſæpius præſcribi ſolere.

§. II.

Tartarus Emeticus è croci metallorum & cryſtallorum tartari part. æqual., juxta modum parandi Gallicanum Cryſt. tartari p. ii & Croc. metall. p. i. coctione cum aqua productus, eſt inſidus planè & violentus, operatur virtute partium Mercurialium ſeu Arſenicalium Antimonii à Cryſtallis tartari abſorptarum, Doſis ejus priore methodo præparati à gr. j. ij. ad iij. eſt plané inconſtantis & incerti effectus, grano j. ejus puer. X. annorum purgatur; eſt interdum quoque ſufficiens homini XXX. annorum, imo & grani dimidium puero X. annorum ſæpe ſufficit. Robur fibrarum ſtomachi non omnibus eſt idem, licet ejuſdem fuerint ætatis, & multum differt vitæ genus, inde tam frequentes hypercathar-

ſes. Tutius eſt eligere talia emetica quæ nõn adeo ſunt concentrata, & quæ partes emeticas habent diſperſas majorique paulò doſi poſſunt præſcribi, ut errores in doſibus minus frequenter occurrant. Eo tamen non omnino poſſumus carere, pueris enim, qui remedia ſæpè quælibet aſſumere recuſant, in aqua ad gr. ſem. vel j. diſſolutus, adhibita fraude & non advertentibus illis poteſt, ſi vomitorium requiritur, ingeri.

Quod ſpectat ad modum operandi tartarus Emeticus ut & reliqua Mercurialia atque antimoniata, agunt vi Salinarum & Arſenicalium particularum, partim irritando membranas nerveas & muſculoſas, glandulas item ventriculi & inteſtinorum, partim humores ſeroſos ſanguini intermixtos fundendo. Rationem prioris videmus in iis, qui arſenicum hauſerunt, quo membranæ ventriculi erodi nunquam non ſolent & inflammari, ut ipſe ante paucos annos vidi in Patria in Cive intoxicato; poſterioris vero ætiologiam nos docet ſalivatio Mercurialis.

§. III.

In adultis tartaro emetico conſultius ſubſtituatur ſulphur auratum antimonii, purgans ἄνω καὶ κάτω: non quidem negamus, quod & hoc Sulphur, id quod evacuando præſtat vi particularum arſenicalium ſulphureis intermixtarum efficiat, ſed quia doſis ejus paulo diffu-

diffusior est, & partes arsenicales sulphureis interspersæ, ab his quodammodo ligatæ, non adeo facile potest errari in dosi & excitari hypercatharsis. Præcipue si seligatur sulphur maxime leve, molle, aurantiorum colore præditum, quod ruffo illo, gravi, duro, est mitius longè, quia minus in se continet arsenici.

Convenit in qualibet ventriculi oppletione cum conatu vomendi, inappetentia, apoplexiâ ex stomacho per consensum inductâ, pellit lumbricos dosi à gr. IV. VII. ad X. pro ratione præparationis. Potest etiam sulphur antimonii sublimatione cum sale ammoniaco ad tantam evehi subtilitatem & volatilitatem, ut solâ irradiatione ἄνω καὶ κάτω potenter purget, si ejus gr. ß. vel etiam minus, post elutriationem salis ammoniaci iteratam, apice linguæ degustatur, etiamsi sine morâ os aqua copiosâ eluatur, adeo ut ejus plane nihil ad stomachum queat descendere, prout *Vener.* PARENS in se ipso quondam est expertus. Ex quo aliquam ideam nobis possumus formare, quomodo actiones tam mirandas Lapis Butleri, de quo HELMONTIUS in *tractatu Butler* videndus, exserat. Si enim pars concreti virulenta ad tantam subtilitatem potest evehi, cur non & dotes ejus balsamicæ remotâ, vel correctâ prius virulentiâ, sub qua latent, ad tantam volatilitatem, ut medicina evadant spiritus salutaris, possunt exaltari.

Operationem hanc irradiativam clarius explicare nequimus, quam verbis Illustris quondam WEDELII qui modum

modum operationis vitrioli albi adeo expeditæ exponens, *imprimendo* inquit *Archeo seu spiritibus nauseabundum characterem.* Id quod etiam toto die confirmant mulierum morbi hysterici, quæ solo odore suavium læduntur, rerum vero fœtidarum reficiuntur, quæ solis effluviis è corpore exhalantibus vim suam exerunt, ut taceam antipathias. Character hic perniciosus florum antimonii deflagratione cum nitro castratur, adeo ut iis omnis vis cathartica subtrahatur. Ipsi hi flores commixti à gr. XV. ad XVIII. cum debita quantitate resin. scammonii, constituunt remedium illud decantatum ab HELMONTIO *Diaceltatesion* dictum, quod febres intermittentes præcipuè quartanam, secundâ vel tertia tollit dosi, absque metu recidivæ. A dicto sulphure aurato antimonii non multum differt in Gallia adeo decantatus *Pulvis Carthusianorum* seu *Alkermes minerale*, magis mitigatum, quod præter vim emeticam & purgantem leniorem aliis porro virtutibus medicis gaudet.

§. IV.

Vitriolum album purificatum, vomitivum, alias Gilla Theophrasti, juxta Valentini historiam simplicium, ex vitriolo Goslariensi calcinato, solvendo cum aqua & filtrando, depromtum, eadem præstat, citiusque operatur afficiendo immediaté ventriculum, ejusque villos membranaceos, eliquando glandulas, imprimendo Archeo nauseabundum characterem, juxta supra laudatum *VVedelium*.

Ideo-

Ideoque aſſumtum non raro citius juſtò rejicitur, niſi ſine mora plura cochlearia juſculi carnis ſuperbibantur. Emeticum eſt ſecuriſſimum, nullas excitans hypercatharſes, licet in doſi dimetiendâ adeo ſcrupuloſi non ſimus, quæ pro adultis eſt à ℈j. ad iij. iv. apud nos datur in aqua ſimpl. cum Syr. violarum. Per alvum æque quam per vomitum operatur, idque blandius quam cætera emetica; convenit hinc educendis cruditatibus ſtomachi quibusvis, viſcidis & bilioſis, in mania, apoplexiis & vertiginibus à ſtomacho oriundis, tollit infarctus hypochondriorum, & enecat progeniem verminoſam. Si quem habent locum emetica in iis, qui hauſerunt arſenicum, vel alia venena vitriolum album propter citiſſimam operationem forte reliqua omnia antecellit, ſed mox in principio dandum.

§. V.

Radix Ipecacuanha vel Hypecacoanna gaudens ſale purgante cum terra ſtyptica, eſt emeticum mitiſſimum, ja ℈j. ad ℈ij. vel ultra exhibitum, apprime conducit, quando opus eſt, & indicatur à ſaburra vitioſorum humorum in ſtomacho hærente, datur mulieribus diuturna inde uteri hæmorrhagiâ laborantibus, quam non raro unicâ compeſcit doſi. Dicimus in fluore diu continuante, nam in principio non conſultum eſt eam ſiſtere, ne impetus ſanguinis ſurſum ad pectus ſeu caput ruat, & graviora producat

mala. Magni quoque usus est in dysenteriis, diarrhoeis & febribus continuis biliosis, quæ utplurimum in longum protrahuntur, & emesin bis vel ter iteratam poscunt. In hoc casu radix ista omnibus aliis emeticis est præferenda, quia non, vel rarius ad alvum ducit, atque humiditates serosas, corpori fere exsiccato summopere necessarias, conservat. Præterea hystericæ, si quâ egent purgatione hanc radicem facilius ferunt, quam cætera vomitoria.

§. VI.

Mercurius vitæ seu *Pulvis Algaroth* est remedii genus fere obsoletum, nec facile à Medicis hodie præscribitur, usum tamen quendam habet in subjectis robustioribus & hydropicis, ubi nempe viscera adhuc sunt salva, non quidem pro scopo ciendi vomitum, siquidem ejusmodi intentio esset contra regulas artis, sed quia habet singularem facultatem resolvendi & fundendi lympham viscosam tenacem. Est progenies antimonii, cujus partes regulinæ ope mercurii sublimati in liquamen butyrosum abeunt. Operatur hinc sicuti tartarus emeticus & reliqua antimoniata, utut longe violentius. Præterea medicamentum hoc drasticum hydropicos rarò plus quam semel ad vomendum solet movere, licet ejus dosis ad gr. V. usque augeatur, sed maxime per alvum transit. Infringunt ejus vim emeticam aut salia, quibus scatet latex hydropicorum, lixiviosa, aut moles aquarum viscosarum.

Exhi-

Exhibetur commodiſſime bihorio poſt tenuem cœnam ſub introitu in lectum, cum fermento panis in pilulas redactum. Ruſticis monticolis, propter copioſum caſei & fabarum majorum eſum, duro prædi-tis ſtomacho, quos remedia ordinaria rarò movent, etiamſi non fuerint hydropici, pro ſcopo purgandi proprie convenit. Sic & hic *ſuum cuique* tribuitur, duro nodo durus cuneus.

§. VII.

Vomiturientes operationem facilius expediunt in lecto, abdomini incumbentes, quam ſitu erecto: quod ſi forte cuipiam emeſis juſtò largior ſubſequatur, ea ſopienda venit hauſtu lactis calidi cum tantillo ſacchari bis vel ter repetito. Emeſis ſupponit integritatem viſcerum, ætatem non modo mediam & juvenilem, ſed & infantilem; infantes quippe plerumque evemeti ſunt, ſtaturam corporis mediocrem, proceri enim, præſertim pectus anguſtum habentes difficulter moventur.

Gravidis niſi forte tribus primis menſibus, eſt periculoſa, nec niſi per hypecacuanham procuranda. *Senibus & infantibus* tenerrimis eſt parcendum, & ſaltem illis, qui aliquot annos habent, ſi requiritur, vomitus movendus; ſunt & nephriticis dubii eventus emetica, protrudendo interdum lapillos, ſæpe exitu grandiores, à renibus ad veſicam.

Hypochondriacis, atque *Hæmorrhoidariis* propter

vomitum ſanguineum ſubinde conſequentem, manifeſtò nocent, & quia evacuationes hæmorrhoidales, ſanguinem ſurſum trahendo, ſupprimunt.

Herniofis non niſi in ſumma neceſſitate, cum magna circumſpectione propinanda. Hyſtericæ ea non adeo ferunt, quam laxantia, præcipue tartarum emeticum. Iisdem quoque læduntur *hæmoptyici*, *gibboſi*, *phthiſici*, niſi in principio phthiſeos.

CAPUT II.

De Laxantibus.

§. I.

AD evitandas, quas emetica ſolent excitare anxietates, cum ægro, tum ſæpe quoque Medico, ſatius & tutius eſt purgare corpora impura catharcticis blandioribus, quæ inter eminent Manna, Folia Sennæ, Rhabarbarum, Magneſia alba, Sal anglicum, Jalappa, aloëticum gummoſum, & quæ vegetius operantur, Colocynthis, Magiſt. Jalappinum, Scammonii, Mercurius dulcis, Extr. Elleb. n., Troch. alhand. &c.

Ex his variæ concinnari poſſunt compoſitiones pro morborum & individuorum exigentia, atque Medentis dijudicatione; habent enim ſe inſtar chartarum luſoriarum, quæ ſibi invicem diverſis modis miſcen-

miſcentur, & pro varia miſcela, vel temperant, vel acuunt.

§. II.

Manna Calabrina propter ſubſtantiam gummoſam, ſale volatili blande cathartico gravidam convenit vel ſolitaria, doſi ℥iß. ad ℥ij. in aqua ſoluta, addita Olei amygd. d. ℥ß. & cryſt. tartari ʒß. vel ℈j. exhibita, vel in decocto fol. Senn. & Rhab. ſoluta. ad. ℥j. vel ℥jß. in morbis pectoris ſine febre, in affectibus renum, in obſtructione alvi, in colica admodum proficua eſt, antequam dolor & ſpaſmus vel præcipitantibus & demulcentibus, vel etiam opiatis ſedetur. Infantibus tenellis à ʒj. ij. ad. jv. in lacte ſoluta optime conducit.

Jungitur quoque pro adultis commodiſſime ejus ℥ß. Salis angl. ℥j.

℞. Rhabarb. ver. ʒj. aut ʒiß.
Fol. Sen. S. S. ʒij.
Fl. chamom. pj.
Flaved. cort. citri.
Nitr. ppti. āā ℈j.
Sem. aniſ. ʒß. Conc. M.
coq. cum. ▽ ℥iiij. vel ℥v. colat.
add. Mann. Cal. ab ℥j. ad ℥iß. denuo coletur, S. pro una doſi.

alvum blande ſolvit, lenit criſpaturas ſpaſmodicas hypochondriorum, é pulmonibus educit viſcoſitates

 ſtagnan-

ſtagnantes. Mulieres verò hyſtericæ eam, propter dulcedinem, non facile ferunt.

§. III.

Folia Sennæ Alexandrinæ ex hydragogorum familia vegetius paulo purgant Mannâ, adhibentur potius in infuſo vel decocto, quam in forma pulveris, infunduntur vel coquuntur cum aqua additis cum pro correctione, tum pro ſtimulo Rhabarb. Tamarindis, Mannâ, Fl. chamom, Arcano duplicato.

In forma pulveris rarò dantur, niſi intermixta pulveribus aromaticis, ſem. 4. cal. maj. Salibus item mediis & ſaccharo ad modum trageæ. Uſum eorum ſupra laudatus WEDELIUS pro more paucis deſcribit in *Amœnitat. Mat. Med. L. II. S. I. cap. 6.* his verbis:

Purgant univerſaliter, leniter, & tarde quidem, ſed efficaciter, omnigenos humores. Et paulo poſt: *Prodeſt Senna univerſali uſu in morbis quibusvis, poſita indicatione laxandi.* In uſu proin eſt in affectibus hydropicis cum rad. aperientibus, hellebor. n. rhabarb. turpeth. vegetab. gumm. ſalibus diureticis &c. Nullum infuſum vel decoctum laxans illa facile caret, adeò eſt ejus uſus univerſalis.

Pluribus eſt in uſu ad ſolvendam alvum ſicciorem, infundendo ejus ℥j. cum thea & aniſi ſtellati tantillo, per horam unam. Mulieres, etiam puerperæ, eandem ad hunc ſcopum decoquunt cum prunis.

Celeberrimi quondam *D. D.* BILGERI *p. m. Phyſici olim*

olim Campidonensis Meritissimi Brodium laxativum, seu Syrupus ex Senna, cum turpetho albo gumm. &c. paratus addita manna, est remedium præsentaneum in asthmate flatulento suffocativo, irritis omnibus carminativis, dosi scilicet sufficienti datus.

§. IV.

Rhabarbarum verum, est medicina naturæ valde amica, cholagoga, amaritie sua stomacho & toti intestinorum canali gratissima, cruditates ventriculi quasvis blande everrit, cum subsequente adstrictione alvi, hinc in morbis ex atonia fibrarum, à potu frigido inducta, in diarrhœa, dysenteria, usus ejus solennis est. Confortat etiam renes, & in forma tincturæ cum sale tartari & spiritu vini non rectif. apud nos paratæ sanat mictum cruentum. In forma infusi, juxta Harrisium in Ep. 4. ad Baglivum cum vino malvatico, tollit diabetem. Datur in substantia à ʒß. ad jß. cum nitro ppto aut arcan. dupl. M. ℈j. Commode commiscetur ad ʒß. vel ℈ij. cum Salis anglici ʒij. præcipue in hystericis; aut cum rad. Jalapp. stomacho robustiore existente, hac proportione, ut sumatur rhabarbar. ʒß. vel ℈ij. Jalapp. à ℈j. ad ʒß. cum nitri ℈j. In diuturno appetitus defectu & dyscrasia fermenti stomachi

℞. Rhab. ver. ʒiij.
Sal. tartar. ʒß. vel ℈ij. M.
c. Aqu. fl. acac. ℥viij. dosis mane & vesp. cochl. iv.

quod remedii genus per epicrasin purgat, roborat-

ratque ventriculum, aſt non omnes æque ferunt rhabarb. doſes repetitas, nonnullis enim excitant teneſmum ani, quo facto doſis diminuenda, aut ſemel ſaltem in die exhibendum eſt.

Felicius operatur Rhabarbarum doſi mediocri, ſc. à ʒß. ad ℈ij. datum quam in majori ad ʒj. aut ultra, prævalente hic vi adſtrictoriâ.

Syrupus rhabarb. cum paſſulis minoribus juxta CHRIST. DEMOCRITI præſcriptum *lib. de vit. animal. morbo & medicina* paratus excellit in curando ictero aliisque hepatis affectibus, ſæpius per diem ad cochl. i. exhibitus, alvum ſemel vel bis per diem movendo, viſcus hepatis liberat ab infarctu, hæmorrhagias quasvis compeſcit, & ut cum laudato WEDELIO finiamus L. II. S. I. c. 6.

Vacuat irritando, roborat adſtringendo, tonicum eſt laudatiſſimum, minori doſi vero alterat &c. Si nempe uſus ejus ad tempus aliquod protrahitur, quia *ſub amaritie terrenâ & viſcedine lenta condit acrimoniam Salino Sulphuream.*

Hinc HAMILTON *in Regul. Praxeos p. 25.* radicem rhabarbari in parva doſi, at diu continuatam ad ſananda renum ulcera commendat.

V.

Magneſia alba, terra illa ex reſiduo poſt cryſtalliſationem nitri, lixivio, quod nitrarii vocant Matricem, Germ. Mutter-Lauge, diuturnâ cocturâ ſuperſtes,

ſtes, optimè elutriata, candida, inſipida, acidum in ſtomacho exuberans, & Salia peregrina famelice abſorbet, regeneratur inde novum vitriolum in primis viis, easque detergendo purgat, & quidem nonnunquam, ubi ſcilicet acidi multum invenit, cum non levi inteſtini recti ardore. Quod ita ſe res cum dictâ metamorphoſi habeat, probatur ſimplici affuſione acidi cujuſdam liquoris, præcipue vero ſpiritus nitri in vaſe vitreo, magneſiæ albæ pulveriſatæ, reponendo per noctem in loco frigido, ſequente manè apparebit verum nitrum, longioribus cryſtallis ſuis ſe legitimans. Convenit hinc proprie illis, quorum ſtomachus acido abundat, quod cognoſcitur ex eructationibus acidis, ardore ventriculi, ſtipticitate alvi. Datur ad ʒij. cum ℈j. arcani duplicati, vel tartar. vitriol. amat connubium mannæ ad ʒiv. vel. vi. item vis ejus egregie adjuvatur addito pulv. rad. Jalappæ à ℈j. ad ℈ij. ſic evadit purgans efficax, blandum, omnibus acceptum. In vomitibus ab acido oriundis & colica ejuſdem proſapiæ egregie operatur, ſi ejus ʒvi. cum arcani duplicati ℈iv. cum aqua quadam deſtillata commiſceantur, & ſingulis ſex horis pars ejus quarta hauriatur, per epicraſin laxando, vomitus compeſcit, & alvi obſtructiones pertinaces ſolvit, modo prius in Colica criſpaturæ fibrarum ſpaſmodicæ & dolor per clyſmata demulcentia fuerint ſublatæ. Hernioſi in alvi obſtructione hac potione quoque cum εὐφορία utuntur. Bilem etiam evacuat abſorbendo, ſi non fuerit viſcida. Eſtque medicina gravidarum,

puerperarum & infantum. In alvi contumaci constipatione, in qua sæpe vegetiora laxantia incassum adhibentur, hæc potio ut plurimum compotes reddit voti ægrum & Medicum. Ubi fortiora non penetrant, non est ad drastica ascendum, sed descendendum ad leniora & humectantia. Qui carent acido in primis viis, aut quibus eædem sunt oneratæ viscositatibus, medicina hac nullo modo moventur, non enim agit in viscidum, nec operatur hæc terra purgando, nisi prius per acidum in stomacho occurrens in nitrum fuerit regenerata.

§. VI.

Sicuti Magnesia alba apta nata est absorbendi acidum, Salia peregrina, bilem, ita requirunt cruditates viscidæ, caseosæ in ventriculo latitantes & suo pondere cardialgias parientes, remedium magis activum Salinum, quod incidendo, attenuando eas resolvat, id quod præstat *Sal anglicum* ad ℥j. vel ʒvi. in s. q. aquæ dissolutum & Syr. rub. id. edulcoratum, sed oportet, ut sine morâ superbibatur, aut jusculum carnis, aut infusum theiforme, alias hoc neglecto facile per vomitum rejicitur. Est instar acidularum in forma concentrata sicca, num ex aquis Epsomensibus in Anglia, aut aliis Salinis evaporatione proveniat, an sit artificiale, nondum certo constat; vile tamen pretium, quo venditur, priori conjecturæ favere videtur. Operatur blande absque torminibus, pro stomacho robu-

robuſtiore acuitur addita mannæ ℥ß. vel ℥j. Syr. laxativi, debilioribus dantur ejus ʒij. cum rhab. ʒß. vel ℈ij. Opitulatur obſtructionibus viſcerum recentibus, & hydropi naſcenti per intervalla repetitum. Temperando corrigit bilem, & acidum, eaque cum viſcido educit; In febribus intermittentibus, ictero, defectu appetitus, ubique fere & omnibus conducit, ſi excipiantur dyſenterici & puerperæ. Hæmorrhoidarii etiam durante fluxu id præ cæteris omnibus tutisſime ſumunt, ſi nempe purgante opus habent, & gravidæ eodem commodiſſime laxantur.

Eſt nobile Sal, mediorum imitans indolem, at hiſce longe tenerius molliusque, antecellit hoc charactere Salia reliqua naturalia, Sedlicenſe ſcilicet & Egranum.

Obſervant Medici fere in omnibus reliquis catharcticis, excepta magneſia alba, virulenti quid, naturæ contrarium ratione cujus illa operantur, hinc in determinanda eorum doſi magna opus habent circumſpectione, ut cuique ſuum in pondere tribuant, neminemque lædant, à qua ſolicitudine ipſos liberat divinum hoc remedii genus, adultis omnibus adæquata eſt ejus doſis ʒvi. vel ℥i. neminem lædit, fere omnibus prodeſt, ſive acido, ſive bile, ſive viſcido ægrotent.

§. VII.

Jalappa ſeu *Mechoacanna* nigra, radix Americana, hucusque magna fuit Practicis in laude, purgat

enim si debita observatur dosis omnes humores, acidos, biliosos, viscidos præprimis serosos benigne & largius, quam ab antecedentibus est sperandum, idque ob texturam resinosam, licet assumta sit admodum nauseosa, & nonnunquam excitet tormina ventris, quæ tamen præcaventur additione magnesiæ albæ. Principia, è quibus consistit sunt terra, resina & Sal. Resina separatur à terra & sale solutione per spiritum vini rectificatissimum & cum aqua præcipitatione; utraque substantia, nempe radix in concreto, & resina separata venit in usum. Radix hæc est revera catholicum & panchymagogum purgans, apprime & magis convenit purgando ventriculo, quam resina, seu magisterium ejus cum pineis vel amygdalis contritum, ex eo, quod resina vinculis suis terrestribus implicata moras longiores in ventriculo ducat, majorem hinc ei nauseam imprimat, eoque ipso ejus contenta vegetius sapore suo nauseoso excutiat, quam resina sola & sibi relicta, quippe quæ ut & illa, quæ ex scammoneo extrahitur, & extracta reliqua vegetabilia seu facilius solubilia, pomoeria ventriculi citius justo transeunt, & magis purgant fundendo ac colliquando humores serosos Massæ sanguineæ, licet resinis non plane omnem actionem in solida denegemus.

Paucis, radix proprie dicta evacuandis cruditatibus stomachi inservit, resina verò tam jalappæ quam scammonii, cum cæteris extractis catharcticis, magis convenit in eliminanda pituita hydropicorum, &

serosi-

ſeroſitate in aliis etiam locis ſtagnante. Radix datur adultis à ʒß. ad ℈ij. robuſtioribus ad ʒj. & ultra, cum ℈j. arcan. dupl. M. vel nitri vel crem. tartari. Reſina in hydropiſi à ℈ß. ad gr. xv. vel xx. in ſpiritu vini rectificatiſſimo ſoluta & cum Syr. violarum edulcorata; ſed huic non eſt ſuperbibenda thea aut juſculum ante bihorium, ne ab aquoſis in ſtomacho præcipitetur & tormina excitet; vel in forma pilularum cum extracto helleb. n. aloët. gummos. Mercurio dulci aut trochiſcis alhandal. ubi minor ejus ſufficit doſis ſcil. gr. v. Radix in ſubſtantia ſumpta temperatur mire addita Magneſia alba, commode etiam ejus ℈j. adjungitur Rhabarb. à ʒß. ad ℈ij. cum arcano duplicato. Senibus vertigine, & alvi ſiccitate laborantibus conducit Magiſt. Jalapp. extr. elleb. n. aloët. gumm. cum Mercurio dulci in forma pilul. ſemel vel bis in ſeptimana datum. Harum pilularum gr. iv. vel vi. bihorio ante cœnam ſumantur; vel pro ditioribus:

℞. Reſin. Jalapp.
Extr. aloet. gumm.
rhab. veri. āā. ʒß. gr. vi.
Elleb. n. ℈j.
Succini Spiritu Sal. ammoniaci vinoſo parati.
Cent. min. āā. ʒß.
Croci.
chammom. āā. ℈ß.

F. c. Eſſ. ſuccin. ſ. pil. pond. gr. i. doſis n°. 3. vel 4. bis in ſeptimana paulo ante cœnam. Varia inſuper medicamenta purgantia è reſina Jalappæ parata in officinis

proſtant, e. gr. ſpecificum Jalappinum, Tinctura Jalappæ, Diacydonium lucidum Jalappinum, quæ tamen, quia noſtris in oris in uſu vix ſunt, ſicco pede tranſimus. Quid præſtent pilulæ illæ decantatæ Becherianæ in menſium obſtructione legitimè adminiſtratæ, vidi apud *Excell. Dn. D.* JUNCKERUM, *in Regia Academia Hallenſi Med. Profeſſorem Celeberrimum, Præceptorem meum filiali obſervantia æternum venerandum*, & nemini non ex ſcriptis recentiorum Practicorum notum eſt. Præterea pilulis cum his, tum ſupra memoratis vel aliis ſimilibus utendum eſt potiſſimum in cephalalgia, vertigine, ophthalmia, ſive moderata ſupra dicta methodo, ſive doſi largiore, aſt non ſæpius repetenda. Caſſia rarius in uſum veniens, turpethum vegetabile album gummoſum, tamarindi, rad. Elleb. nigri, aloë, Mercurius dulcis, ſeu alia, quæ ſaltem ſtimuli loco infuſis & pilulis laxativis adjunguntur, ſpecialem conſiderationem quidem merentur, verum quia pauca ſunt, quæ Medicum rationalem nobilitant, & labor, ſi de his omnibus agere vellemus, nimium excreſceret, eorum virtutibus recenſendis pace Lectoris ſuperſedemus.

§. VIII.

Unicam adhuc *Colocynthidem* producere liceat! Mors in olla Vir Dei, exclamabant olim diſcipuli Prophetæ Eliſæ. l. 2. Regum c. 4. dum illis colocynthis cocta ad comedendum apponeretur. Ubi virus,

ibi

ibi virtus! Correctione opus habent virulenta naturæ concreta; ſub veneno, juxta Helmontium, delitescunt non raro magnæ virtutes. Propheta indicat quaſi correctionis medium, jubet admiſceri Colocynthidi farinam, & virulentia evanuit. Miraculo divino ſuus conſervetur honor & reverentia, quilibet novit juxta artis leges hoc non ſuccedere. Interim tamen non ſine ratione colligitur, Medicos inde anſam deſumſiſſe virulentiam hujus vegetabilis aliquo modo temperandi addito furfure ſecalino, ope coctionis in aqua, adeo ut inſtar Clyſmatis tuto & cum magno ſucceſſu queat adhiberi in morborum pertinaciſſimo, nempe Paſſione ilica, vulgo *Miſerere mei*, prout *Vener. Dn.* PARENS ſæpiſſime eſt expertus, habet enim colocynthis virtutem ſpecialem motum inteſtinorum periſtalticum inverſum reſtituendi, placandi archeum irritatum, & conſtipationes alvi contumaciſſimas ſolvendi, non ſolum dicto modo in Clyſmate adhibita, ſed & per os aſſumta in forma uſitata trochiſcorum alhandal. Eſt experimentum non quidem ſemper ſed ut plurimum ex voto ſuccedens, nam interdum circumſtantiæ, præſertim in herniis incarceratis, & ſi concurrit inteſtini inflammatio, ita ſunt comparatæ, ut vel impoſſibilis inteſtinorum repoſitio, vel nullus fructus ex illa ſperandus ſit, hoc tamen ſemper præſtat, quod ejus uſu vomitus ſtercoreus certo præcaveatur. Hic quidem ſermoni de Colocynthide finem imponere poſſemus, ſed inique & contra charita-

charitatis leges actum esset, si datam opportunitatem miserrimos diu noctuque Miserere mei exlamantes ægros reipsa consolandi negligeremus. Quid juvat Medicum, quid ægrotum fecisse mentionem alicujus remedii generosi, modum vero præparandi & applicandi, ut multi faciunt, subticuisse? Cujus ignorantia aut Medicus ægrum lædere, aut uterque successu carere posset. Est autem administratio sequens.

℞. Furfur. secalin. m. j. coq.
cum aqua ℔ij. in colat. coq.
pulpæ. colocynth. enucl. ʒij. ad summum ʒiij. coq. ad medietat. coletur cum expressione, adde postea
Sacch alb. ʒß. sal. gemm. ℈ß.
Olei aneth. ℥iß.
Hujus applicatio post spâtium 24. hor.
si opus fuerit, non vero citius repeti poterit.

In defectu successus interdum necesse est addere ℈j. vel ʒß. rad. asari, quia vero hæc radix non raro sanguinem ex intestino recto elicere solet, quo in casu paulo post operationem clyster demulcens ex lacte & oleo injiciendus est.

Ubi vero clysmata locum non habent, possunt interne dari Troch. alhand. à gr. ii. ad gr. vii. cum C. C. usti gr. xv. vel ℈i. sed mox post solutionem alvi Chirurgus repositionem intestinorum manualem ut tentet, opus est.

Cap. III.

CAPUT III.

De ratione purgandi Gravidas, Puerperas & Infantes.

§. I.

EMetica fortiora gravidis non ſunt concedenda, præſertim primis 4. menſibus, & quidem mitiora ſaltem, ut Ipecacuanha, vitriolum album, in doſi mediocri, ſcilicet illius ℈j. hujus ʒß. Vomitus in lecto expediant ligato leviter ventre; quod ſi vero iis poſſumus ſuperſedere, & per laxantia intentioni ſatisfacere, tutius eſſet. Inter quæ præ aliis conveniunt Magneſia alba cum vel ſine mannæ ℥ß. ſal. anglicum à ʒvj. ad ℥j. Rhabarb. vel ſolitarium à ʒß. ad ℈ij. vel adjunctis ʒij. ſal. anglici, item paſſulæ laxativæ pro circumſtantiarum exigentia, tempore geſtationis bis ad minimum, etiamſi ſanitate integra fruantur, purgent corpus præſervationis gratia, prima vice circa quartum vel quintum menſem, altera vice menſe ultimo, totidemque ſanguinem mittant è brachio ad ℥iv-v. Idque ea de cauſa, ne poſt partum adeo facile in morbos incidant ex congeſtione & colluvie cruditatum, quas gignere ſolent cereviſiæ, in plurimis germaniæ provinciis pro potu ordinario adhibitæ, quæ cum non ſint conſtanter bonæ notæ, in ſtomacho ſæpe relinquunt fæculentias viſcoſo-flatulentas. Sanguinis vero detractiones ſerviunt ad præcavendas uteri hæ-

morrhagias, cum ipso gestionis tempore, tum in & post partum, sæpius, si negliguntur, contingentes.

§. II.

In puerperio primis octo diebus alvum laxantibus movere non admodum tutum est, quodsi autem obstructiones alvi id poscunt, fiat potius per Clysmata emollientia quam per medicamenta ore assumenda, quæ uterum commovendo aut affectus hystericos aut nimium lochiorum fluxum excitant. Post hos dies vero & cessantibus à potiori lochiis, si purgatio corporis requiritur, potest ea institui infuso foliorum sennæ cum flor. chamomillæ, vel rhabarbaro, aut magnesia: à fortioribus semper est abstinendum. Vomitorium si exigitur, finitis lochiis concedi illud poterit ex ipecacuanhæ. ℈j., ventre probe ligato.

§. III.

Infantes recens nati solent mox â partu laxari cochleari uno vel altero minori Syrupi de rhabarb. cum cichoreo vel Syr. è Senna, ut stomachus ad recipienda alimenta disponatur. Hi plerumque integram in lucem afferunt sanitatem, sæpe vero paulo post obruuntur cibis, vel, si aquas bibunt, læduntur potu justo frigidiore, ita ut ex lacticiniorum nimia ingestione acidum in stomacho generatum vomitus, tormina, clamores, excitet, &c. à frigidiori vero vel nimio aquæ usu tonus ventriculi dejicitur, diarrhoeæ, flatus,

flatus, tormina, clamores ſequuntur. Prudenter cum his tenellis eſt procedendum in cura, calamitates ſuas non niſi clamoribus exprimere valent, conjecturis ſaltem colligendum eſt, ubi ægrotent, hic ſane opus eſt intelligere *naturæ ſermonem*. Conatus vomendi, diarrhœæ, inappetentiæ &c. indicant ventriculi turbationes, aut à nimio lacticiniorum uſu, aut à frigidioris aquæ potu; quo in caſu, ubi acidum præſumitur, magneſiæ ℈j. cum ſal. abſinth. gr. ij. in emulſione cum ſaccharo exhibendus, aut Syr. lax. ex Senna.

Hic pulv. rhabarb. cum ſal. abſinth. ad gr. IV. V. vel Syrupus de rhabarb. Item præcipitantia in cauſa utraque locum habent, è Corall. r., oc. 69. conchis, C. C. uſt. vel alio modo ppto, Cryſt. mont. Cinnab. antimonio diaph. rad. ir. fl. & ſimilibus, prout Gualt. Harris *de morb. infant.* pluribus doctè exponit.

In torminibus à flatibus ortis commendandi ſunt Clyſteres carminativi, è fl. chamom. ſambuc. ſem. cumin. &c. cum ſaccharo parati, nonnunquam etiam balnea, ſi prædictis clamores non ceſſant, blando viſcera calore fovendo mire conveniunt. Potus aquei infantibus eo caloris gradu ſunt adminiſtrandi, qui accedit ad calorem lactis materni, ſi ſalvos eoſdem conſervare velimus; Aſſueti potui aquoſo magneſiam non adeo facile ferunt, quam lactantes, hinc laxandi potius ſunt rhabarbaro in ſubſtantia. Infantes unius & plurium annorum, in ventris turgeſcentia laxantur commode flor. acac. p. i. cum lacte coctorum, Manna

quoque ipsis valde conducit lacte soluta à ℥j. ad 2. 3. vel 4. Pueri 5. vel 8. annorum cum εὐφορίᾳ purgantur Rad. Jal. gr. v. ad x. cum oc. 69. ℈ß. rad. ireos fl. gr. j. Misc. Emesis vehementior infantibus ante annum 9. vel 10. non facile movenda, ob mollitiem & laxitatem fibrarum; puero X. annorum, si exigitur, sufficit tartar. Emet. gr. ß. Sunt tamen, qui pro roboris ratione etiam gr. j. ferre possunt; ubi conatus vomendi urget, ibi minor dosis plerumque sufficit.

CAPUT IV.

In quibus morbis purgantia sint fugienda, & quomodo hypercatharsi occurrendum.

§. I.

FEbres *ardentes*, *petechiales* quia vel ab aëris dispositione, vel à contagio personali, oriuntur, non nisi per accidens, quando nempe concurrit stomachi repletio, purgans requirunt, idque mox in primis diebus, & quidem, si fieri potest, emeticum; minus convenit hic ducere per alvum, nisi ubi turgescentia ventris aut ejus obstructio id poscit, per clysmata humectantia, ne sanguini humidum sustinendo & profligando morbo summe necessarium, subtrahatur & diaphoresis supprimatur. Idem *de Febribus continuis biliosis* est tenendum, uti supra innuimus, convenit

ergò

ergò in his morbis magis purgare corpora impura radice ipecacuanha, in ardentibus quidem saltem in principio, antequam vires prosternantur, in continuis biliosis etiam in initio, tum & omni morbi stadio locum habet emeticum. Dosis una in principio præscripta raro sufficiens deprehenditur, materia morbifica adhuc dum cruda existente, siquidem juxta Coum *cocta sunt movenda, non cruda.* Successu temporis, & quando causa materialis per adhibita remedia digestiva, salia nempe & præcipitantia, item per morbi decursum, magis cocta est, indicat ea per turgescentiam, & conatum vomendi, de novo, imo sæpe tertiâ vice sui evacuationem. *Nec Febres intermittentes* amant fortiora laxantia, nisi turgescentia humorum in ventre infimo evacuationem poscat, ubi diebus intermediis, vel Clysmatibus vel Sale anglico est succurrendum. Vomitoria, si turbatio stomachi requirit, sunt magis proficua. *Variolæ, morbilli, febris miliaris, scarlatina & aliæ exanthematicæ,* nulla plane admittunt laxantia, nisi ante eruptionem & quidem ad conservandum serum secretioni & expulsioni adeo necessarium, blandissima. *Febres catarrhales, pleuriticæ,* in augmento a catharsi læduntur lethaliter, nec emesin facile ferunt. Sunt morbi, qui cupiunt solvi per anacatharsin & diaphoresin ubi ad alvum humores divertere absque vitæ periculo non licet: sola illa evacuatio lenis, quam oleum lini pleuriticis subinde movet, est innoxia.

Erysipelata pariter laxantia nullo modo exposcunt,

natura tendit eliminare ad ſuperficiem cutis, quod ipſi eſt moleſtum, contra cujus molimina minime eſt movendum: quod ſi vero per accidens ventriculus bile, vel alia materia peccante, cum conatu vomendi, ſui evacuationem requirat, emeticum ex ipecacuanha in principio concedi poteſt. *Arthritis & podagra* regulares, nec in- nec extra paroxyſmum, quamdiu nempe artubus inhæret, utut levis, tumor, admittunt catharctica; materiam enim ad artus protruſam, ad centrum corporis revocant, teſte experientia & BAGLIVO *Prax. Med. l. 2. c. 4. p. m. 194. ubi ait*; „ in hiſce itaque tumoribus pedum ante & poſt po„dagram apparentibus, nullum omnino, nullum in„quam, neque internum neque externum adhibeas re„medium, eo potiſſimum nomine, ut materiam il„lam à pedibus averteres, ſiquidem obſervavimus „ſæpiſſimè poſt exhibita purgantia, diuretica, aut ſu„dorifera materiam illam à pedibus ad interiora re„troceſſiſſe & apoplexias, aſthmata, febres aut mor„tem repentinam produxiſſe. E contra in podagra anomala & irregulari laxantia ſunt ſummopere neceſſaria & proficua materiam arthriticam à centro ad artus expellendo, ceu loca competentia, uti MUSGRAVE *lib. de arthrit. anomal.* paſſim docet, eaque poſſunt parari de Jalappa, aut Manna, aut Senna, modo vegeté ad alvum ducant. Motus omnium ſupradictorum morborum moliuntur materiam morbificam ſeparare vel per poros cutis, vel per expectoratio-

rationem, aut eam ad artuum extremitates deponere; hinc Medico non licet ista molimina naturæ laxantibus turbare & invertere, vel ad alia emunctoria ducere. *Hic est sermo naturæ, hæc est lex artis salutiferæ!* Medicus, ceu prudens naturæ Minister, motus hos sequi debet, non turbare.

§. II.

Accidit interdum, ut medicamenta purgantia utut cum debita circumspectione, & dosi decente præscripta, excitent hypercatharses, idque vel ex interna humorum proclivitate ad fluorem, vel ex incuria ægri, quando scilicet hic ipso purgationis die aëri frigido se exponit, aut nimis frigide bibit. In casu priori remedium generale est potus lactis calidi cum tantillo sacchari, semel vel bis haustus. In posteriori casu vero præferendum est Diascord. Fracastorii, ex. gr.

℞. ▽. menth. ℔ß.
Diasc. Frac. ℥ij.
Sal. absinth. ℈iv.
Spir. C. C. gtt. LX.
M. pro tribus dosibus mane & vesperi sumendis.

FINIS.

Liebster Freund! Dein muntrer Fleiß,
Ein Exempel Deiner Tugend,
Dienet Dir nunmehr zum Preiß
Eyfferig vollführter Jugend.
Rede, was ich wünschen soll?
Liebster Freund! Leb immer wohl.

Es wünschet dieses
Dein ergebenster

G. A. PLANER, Med. Cand.

DA Dein gelehrtes Blatt der reinsten Weißheit voll,
Wie das mein reiner Wunsch Dich nicht begrüssen soll?
Doch nein, ich schweige noch, biß nach Apollens Cronen,
Mit einem schönen Kind dir Venus selbst wird lohnen:
Dann statt ich Capital mit allen Zinsen ab,
Indessen denck an den, der bleibet biß ins Grab,

Dein ergebenster Freund

C. G. BONTZ, Med. Cand.